



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Casvvm Conscientiae De Sacramentis

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

Antipharmacum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40295

nem in manum porrigi, ut olim fiebat, sed attolli panem quasi venerandum: postea adhibita est genuflexio, & buccellam in os ingerere maluerunt, reuerētia nimirum caussa. At qui hoc primum fuisse horrenda illius artolatria initium, quae ne nūc quidem aboleri potest, quis tandem non videt?

Antipharmacum.

In conuenticulo Caluiniano Londinensi cap. 23. statuitur, ut qui cœnam sumunt, id faciant in genua reuerenter, ut par est, inclinati iuxta ritum in libro publica Liturgia ea in parte praestitutum. In eadem pseudosynodo cap. 27. Ministri, cum cœnam Domini administrant, neminem scienter eiusdem facient participem, qui in genua non fuerit inclinatus, sub pœna suspensionis.

Aliud Antipharmacum ex Luthero.

Lutherus in Colloq. sympos. tit. de sacramento Altaris. Quidam interrogabat, an sacramentum honore afficiendum esset? Respondit Lutherus, quando ad altare sacramentum sumo, tum flecto genua mea in signum honoris & reuerentia: sed in lecto; iacens illud sumo.

Idem in cap. 47. Genes. Sicut nos non tantum orantes, sed & baptizantes, absoluentes, & absoluti, & accedentes ad sacram synaxin, quin etiam ad recitationem promissionum, aut textus Euangelij, genua flectere, vel saltem stare debemus in signum adorationis siue reuerentia & gratitudinis, &c. Sic bonum est, quod sacramentum altaris colitur inflexis genibus, quia ibi est verum corpus & sanguis Domini.

Quæritur XLII. generatim, Vtrum sacramentum altaris sit colendum & adorandum. Respondet Beza quæst. 243. In ipsa panis sumptione adoratio, quàm sit periculosa, utpote, quae artolatria occasione aperuerit, res ipsa demonstrat.